...onius Seb.

Episc. Vladislaviensis et Pomeraniae

Gedanensis et Bidgostien. Coll. S. Magno

Senatori Regni, Optimo Ecclesiae Pontifi-

ci Illmo Excellmo Rev. D. D. Ant. Sebastiano

Dembowski Dioecesim suam auspicato in-

gredienti panegyricus.

MAGNO SENATORI REGNI OPTIMO ECCLESIÆ PONTIFICI

ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO REVERENDISSIMO DOMINO,

DOMINO

ANTONIO SEBASTIANO A DEMBOWA GORA DEMBOWSKI

EPISCOPO VLADISLAVIENSI ET POMERANIÆ DIÆCESIM SUAM AUSPICATO INGREDIENTI

PANEGYRICUS

DICATUS A COLLEGIIS DIÆCESANIS GEDANENSI ET BIDGOSTIENSI S. J.

ANNO DOMINI M D CC LIII.

GEDANI,
LITTERIS HARTMANNIANIS.

IN AVITUM INSIGNE ILLUSTRISSIMI PRÆSULIS



Quæ pacem statuit, positis super hoste trophæis,
Dissidii tandem causa sarissa manet.
Nempe decus tantum peperit quia bellica virtus,
Hanc dixit belli, Patria, jure suam.
Contra Relligio: Jelitas ordine longo
Pontifices numerans, sacra sit hasta mihi.
Sic Ajax olim, contrà certabat Ulysses:
Arma cui cedant fortis Achille tua.
Utraquè sed tandem vicit, pars utraquè felix!
Præsule Relligio, Patria fulta Patre.
Munere nam gemino fulgens Antonius, amplæ
Aris, & regno devovet arma Domûs.

ILLUSTRISSIME EXCELLENTISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE

Quæ de Te peculiari Superum beneficiô Vladislaviensis & Pomeraniæ Diæcesibus destinato Pontifice gratulatio sit omnium, ac imprimis minimæ Societatis nostræ: vellem Antistes Illustrissime ex Tuis id potiùs in rem Christianam, ac Regni, immortalibus promeritis; quàm ex tenui hac; quam in sinu Præsuleo reponimus, æstimes panegyri. Gratulatur illa Senatorem Regno, quo haud majorem spe præripere; Præsulem Ecclesiæ gratulatur, quo meliorem ne animô quidem concipere poteramus: Nequè tamen tantum exhibet; quantum Te jam antè Tuis probasti rectefactis. Eò nimirum præclarè gestorum magnitudine processisti; ut nulla possit illis par Oratio inveniri: id indefessô illo, ac perpetuô in Patriam

triam

triam ac Religionem Studiô à te effectum eſt; ut cum vetera memoramus, nova, ſe nobis dicendorum ſeges objiciat: cumquè hæc adducimus, priora calamum effugiant. Nequè tamen, idcirco manum movere de tabula, planequè inurbanô ſilentiô gratulationem diſſimulare licuit. Honorem debemus Viris, quos Deus ipſe dignatus eſt honoribûs: hic porro non poſtremus eſt, cum quidquid facultatis, ſeu ab ingenio, ſeu ab eloquentia nobis ſuppetit, illis ornandis conſecratur. Id facimus: ſi non ſatis de Te locuti cumulatè, ex animo certè vim omnem artis, ac induſtriæ ſuperante. Dicendi tenuitas vitio fortè verti poteſt; animus profectò non probari non poterit. Quamquam, qui Tuam Antiſtes Illuſtriſſime perſpexit magnitudinem; ne id quidem Orationis vitio tribuendum judicabit, quòd hanc verbis non adæquaverit. Quin etiam tum maximè eluceſcit laudandorum dignitas, & amplitudo; cum fruſtra par illis attentatur laudatio. Talem Tibi dicat, ſequè totum ſuo devovet Præſuli, longævos ac Divinæ benedictionis plenos exoptans annos, quod Tui Nominis immortalitati hac panegyri conſultum voluit.

ILLUSTRISSIMÆ
EXCELLENTIÆ VESTRÆ

devinctiſſimum
Collegium Gedan. & Bidgoſt. Soc. J.

Quod in primis, ad conſtituendam in orthodoxo hoc Regno, cùm Regni ipſius, tum Chriſtianæ Reipublicæ dignitatem pertinebat: ut Vladiſlavienſis Pontificatûs apex, quo vix ullus eſt in Polonia major, illo communiretur Antiſtite; qui tanti muneris amplitudinem & tueri poſſit, & pari ornamentorum acceſſione cumulare: id totum immortalis DEI beneficiô conſecuti, noſtris etiam oculîs uſurpamus. O bene collocata Regum noſtrorum munera! quæ in amplificandam Cathedræ iſtius majeſtatem congeſſerunt! o diem ter felicem! honori, Religioni, Patriæ! quo magnum illud ſacri civilisque ſtatus lumen, Antonium Pontificem noſtro exoriri bono; nomen tot geſtîs præclarè faſcibûs, tot pro publica incolumitate exantlatîs laboribûs conſecratum; virtutem illam jam inde à tenera ætate ad perfectiſſimum annorum

cumulum continuatam, ad exemplar, ad ſpem, ad præſidium bonorum omnium, Præſuleis hac in Diœceſi admoveri aris, primæquè ſplendorem purpuræ capeſſere intuemur. Ex quo, cum tanta lætitiæ exſurgat ſeges, tantaqué dicendorum ubertas; ut mihi, quòd Oratoris fungi officiô, ac in tam præclaro verſari argumento conceſſum ſit, jure gratulari poſſim: tum certè idem ipſe Antiſtes, qui cauſas concipiendæ de ſe gratulationis obtulit innumeras, nonnihil conturbat, retardatquè dicere geſtientem. Ille, ille unus, reclamantibus cæterîs omnibus, Antonium Pontificem ſapientiſſimo Regis conſiliô ad id muneris deſtinatum, læta civium, populiqué acclamatione acceptum, indignum Pontificatu judicat; eumqué ſe eſſe, cui nullæ debeantur laudes, palàm profitetur. In hæc etiam ille prorupit, quàm primum iſtam ſibi à nobis, pro ea, qua ſumus in Pontifices veneratione, illosqué tanquam authores bonorum noſtrorum, tanquam vindices, Parentesqué colimus, lucubrari panegyrim intellexit. Quam ego Præſul Illuſtriſſime, dignam virtute tua, dignam te Pontifice vocem, quoties non ſine voluptatis ſenſu memoriâ repeto; toties palàm prorumpere geſtientem lætitiam cohibere nequeo: qin Cathedram iſtam, cui deſtinaris; Diœceſim, cui præficeris; felicem, beatamqué proclamem. Neque enim unquam ſplendidiſſimis florentiſſimisquè faſcibûs magìs di-

dignum te præſtas, quàm cum hîs indignum reputas: atque cùm dotes reliquæ, quas adfers tuendæ dignitati pares, æſtimationem, admirationemqué tibi conciliant; tum virtus iſta, tantaqué in ea fortunæ ſublimitate animi moderatio, amabilem etiam te reddit omnibus, multoqué admirabiliorem exhibet. Morem utique gero tuæ modeſtiæ, & quò magis obſequentem me habeas: non te, non tua; ſed quæ ex te noſtra ſunt bona, prædicabo: mittam, quæ tuam gloriam; dicam quæ noſtram felicitatem concernunt. Ut novum in decus, in novum Gentis tuæ lumen aſſurgis, reticebo: quantum ornamenti, ſplendorisqué ex te accedat titulis, proferam. Ne quidquam dicam: quòd intrà majeſtatem refertiſſimi ac ornatiſſimi Senatûs, ceu magnum ſidus inter aſtra reliqua effulgeas, Patresqué Patriæ tres ſupra centum quadraginta præcedas curuli, & ordine: verùm publicam, quæ cum tua conjuncta eſt, fortunam loquar; nequè quòd Regibus coronam imponere tuum ſit, ſed quòd Regni corones, imò excedas vota, declarabo. Magnum id: beneficium quod accipis, referre poſſe Principi, ac diadema refundere, pro accepta inſula; majus: ſi in collato honore, non tam tibi datum, quàm beneficium à te acceptum recognoſcant univerſi.

Neque verò is ego ſum: ut non videam, quantum eſſe oporteat, in quo Regnum, ac Re-
ligio

ligio inprimis felicitatis ſuæ columen, ac præſidium conſtitutum exiſtimet. Video enimverò: tantoquè confidentiùs palàm iſta de Pontifice noſtro proloquor; quantò intimiùs perſpicio: quòd perinde, ac fluctibus commiſſæ, dubiosquè ſpectantis eventus onerariæ omnis fortuna in rectore ſita eſt, qui illi præficitur; ità communis omnium incolumitas, in illis qui præficiuntur magiſtratibus reponitur. Video: ut blandum quiddam, & inſidioſum honor eſt, atque ut ſplendorem, quo effulget, oſtentat foris; intus tumultuoſam faciem diſſimulat. Video: quanta ſub ampliſſima iſta primi pene ſenatûs Conſulis majeſtate, quanta ſub honorifica hac Vladislavienſis Præſulis appellatione homini incumbunt onera, curæ, ſollicitudines. Idem ipſe Religionem unâ, inclinatam Rempublicam manu ſuſtentat altera: & illam quidem maximè ſcopuloſo locô; hanc in omni fortunæ viciſſitudine, ac etiam multò difficilimis, extremisquè Regni temporibûs. Ipſius eſt: Chriſtianam rem tueri, florentemquè in ea Diœceſi reddere: in qua cùm ſemper hoſtis ſuppetat, à dimicatione ceſſare nunquam; cùm latiſſimè illa pateat, nunquam à labore liceat reſpirare. Ejusdem eſt: in varios projectam caſus Patriam erigere, firmarequè; & quod graviſſimum: tempeſtate illa, (a) qua è vivis excedente Rege, Primate verò vel abſente, vel adverſas partes ſecu-

(a) Lengnich Juri publ. l. 2. c. 5. §. 9.

ſecuto, ultima Poloniæ immineret pernicies; ejusdem inquam eſt muneris, provinciam inaugurandi Principis ſuſcipere, totamque ruentis Reipublicæ molem ab exitio vindicare. Quæ cum ipſe mecum reputo: vehementer,ut fatear, commoveor; maxime quod perarduum videtur id genus reperire hominem, qui tanto numine, tam incredibili virtute communitus ſit: ut negotioſa hæc admodum munia pro dignitate ſuſtinere poſſit. Cum verò in Præſulem noſtrum reflecto mentem; tum à trepidatione ad ſpem revocari, animum reſumere, eumquè Virum arcano divinæ Providentiæ conſiliô nobis datum cogitare.

Et verò videte! ut non fallor opinione mea. Quæ duo hujus dignitatis amplitudo poſtulat; ea ipſa, duo veluti ſunt ſimulacra, quæ totum ſpirant Antonium: Antonium inquam magnum Senatorem Regni: eundemquè optimum Eccleſiæ Pontificem. Qualem ſe ille cùm jam ante præſtiterit; nihil opus eſt, adjiciat adulatio: unum vereor, ne quid de genuina, & propria ipſius, ne quidquam ab Oratoris ingenio petita laude, mea in dicendo detrahat tenuitas.

Ac, ne in hoc ipſo, non à me cogitato, ſed proprio, ut dixi, Pontificis noſtri ornamento, videar cuipiam, Oratorum more magnificentiùs agere, quam veriùs: vos, quorum iſta

ſubjiciuntur oculis, oro: Senatoris, qui undequaquè tanti nominis æquet amplitudinem, ideam cogitando effingite, cum qua hujus conferamus magnitudinem. Mihi certè memoriâ repetenti ſapientum hac de re oracula, Regnorumquè ſancita: quæ illa in Senatûs Conſule exoptârunt; ea omnia perhonorifico illo agnomine Patris Patriæ comprehendiſſe videtur Romana antiquitas. Ex quo: auctoritate præſtare reliquis, animoquè planè paterno complecti Patriam, Regni Senatorem oportet: quarum ſi primam in quopiam dotem deſideres, filium; ſin alteram, hoſtem etiam Patriæ nuncupabimus. Atquè hæc paucis admodum abſoluta verbîs, tantum requirunt, ſibiquè vendicant: ut nihil natura tam magnificum, nihil fortuna tam illuſtre, nihil tam magnum virtus habeat; quod non illis debeatur. Videte enim verò: qui Senatoria authoritate polleat, illum magno antiquitùs, inſigniquè ortum genere, (*b*) Græcia: gravem annîs etiam, (*c*) Roma deſiderat: utraquè (*d*) ut gradibûs dignitatum conſulare faſtigium conſcendat; omnes, ut ingentem meritorum cumulum, ſummamquè in tanta poteſtate rerum peritiam teneat, exigunt. Quæ ornamenta cum difficile omnia in unum conſentiant: tum in

quos

(*b*) Iſocrates Orat. 3. (*c*) apud Romanos lege cautum fuerat, ne cui ante juſtam, & certo annorum numero definitam ætatem, in Senatum gradus fieret: in ipſo verò Senatu, ut quisque ætate antecedebat; ita Sententiæ dicendæ principatum tenuit. (*d*) Livius.

quos liberaliores Superi hæc congeſſiſſent: illi longo ordine majorum ſuorum imagines ſollicitè diſponere; geſtarum faſcibûs dignitatum ornare atria; eruditorum hominum induſtriæ conſignanda, quæ præclare egiſſent, vel pictorum ſolertiæ adumbranda, committere; oculiſquè hominum, quo admirationem ſui concitarent, ſubjicere, ſolenne habebant.

Sed paulò à Pontifice noſtro receſſimus. Videndum porrò eſt, atque etiam perſpiciendum diligentiùs: num quidpiam eorum, quæ adduximus, hunc deficiat: ut minime Senatoriam authoritatem ille ſuſtinere poſſit. Quid verò? ſplendoré ne originis? qua nimirum factum eſt, ut ſæculorum hic gloriam jam inde à cunabulis ad ſe à Majoribus transmiſſam acceperit? an aſcenſus ille per gradus dignitatum? quô ſcilicet geminata eſt ipſius nobilitas, quòd ſplendori natalium tantam honorum nobilitatem adjunxerit: num ætas? at hæc Senatoria eſt. Tum ſi ad rerum peritiam, ad ipſius in Rempublicam promerita advertimus: tanta ſunt; ut ſatìs ex iis ornamenti habeat, ſi cætera etiam defuiſſent. Ità decora illa in unum omnia conveniunt: ut vix in quoquam alio æquè complexa eſſe videantur.

Age enim verò: quæ Præſulem felici ſinu excepit familia? ut antiquitate facile prima! ut

ut in primis exordiis maxima! ut omni ſplendoris genere clariſſima! Nulli Nilum, ut ajunt, parvum videre licuit! nec Jelitas. Cujus gentis ſi vetuſtatem inquiritis? coæva eſt Poloniæ: ſi dignitatem? ſi recteſacta? bellorum celebris eſt eventibûs, ſplendida Regni miniſteriîs, ſagô & togâ inclita. Imo Regia eſt in Saro (*e*), cùm à ſceptro, quod geſſit feliciter; tum à maximis, quas de hoſte reportavit, victoriis; magno Gothorum Rege: A quo ſanguinem, virtutem, nomen, hæreditario quodam jure idem ipſe accepit, qui Coslarogiis partum, virtute bellica Jelitarum nomen dedit Sarius. Videte! ut me in primo aditu, Domus iſtius innumera circumſtant decora! tantaquè illorum magnitudo, ac varietas: ut, quò me vertam, aut unde dicendi initium capiam, non ſatìs apud me poſſim ſtatuere. Videte! quàm præclaram vel ipſum Jelitarum agnomen commendationem adſerat! nomen virtutis potiùs, quam hominum. Neque enim hoc, ut olim Cretici, Macedonici, Numantini appellationem Romanis Ducibus, ignî & ferrô vaſtatæ Provinciæ, atquè in hìs diripiendis libido, Familiæ protulit, neque finxit adulatio. Tempeſtate illa: (*f*) qua Vladislaus quadraginta Crucigerorum millia, ſuîs quadraginta cæſis, in acie proſtraverat, amor Sarii in Rempublicam, (pro qua clypeum hic ſe oppoſuit, tela-

qué

(*e*) Pariſius in Slavia. (*f*) Dlugoſſ. in Hiſt. Polon.

qué hoſtium, quæ Patriam petierunt, in ſe recepit, totus obſitus vulneribus) amor inquam, nomen iſtud, æternum tantæ virtutis teſtimonium, Genti ſuæ promeruit, admiratio extorſit, veritas impoſuit. Jam ſi plura id genus Jelitarum in Rempublicam promerita vellem producere; profectò, cum ſingula panegyrim implere poſſint; nullum dicendi finem noſtra haberet oratio. Utiquè, me etiam ſilente, quo fuerint hi freti numine, ad omnes planè calamitates a Regno iſto propulſandas, ſatis perhibent avita arma, huic Domui ad ornamentum conceſſa. Nam ſi opinione omnis retroactæ ætatis ſariſſæ (g) ſymbolum quoddam incredibilis, & ultra humanæ potentiæ, cui nulla vis, nulla copia poſſit reſiſtere, ſunt habitæ: ità, ut poſt immortales Superos neminem, niſi invictos Reges, vinciquè neſcios heroas, hoc munere decoraret antiquitas: certe admirabili fortitudine Jelitas effulſiſſe oportuit; quorum virtuti tum divinum inſigne delatum fuerit. Mitto proinde prædicare: quot in Jelitarum armis trophæa de hoſte poſuerit Polonia: ſanè quantum Reſpublica hæc habebat hoſtium; tantum Familia iſta oſtenderet triumphorum.

Tum verò infinitus dicendo forem; ſi illuſtriſſimos armorum Jelita viros recenſerem:

 atqué

(g) Valer. Maxim. l. 3. c. 2.

atquè si omnium, quas illi cum insigni laude gesserunt, dignitatum texerem catalogum; infinitus. Quæ enim dignitas, qua non affulserint? quæ curulis, qua non eminuerint? quæ purpura, quam non suo sanguine & meritis illustrarint? Tot honorum insignibûs referta Domus hæc relucet; ut una totum Regni Senatum exhibeat: quin Regnum componi posset ex iis, quos Ecclesiæ Præsules, Senatui Quirites, exercitui heroes, cives optimos, ornamenta, fulcra, Reipublicæ illa protulit. Antiquitatis monumenta evolvite! consignant æternitati per titulos legenda nomina: (h) Joannem Luceoriensem, Thomam Vratislaviensem, Georgium Chełmensem, Dionysium Camenecensem, armorum Jelita Episcopos: qui suas, magna Ecclesiæ lumina, illustrarunt cathedras, consilio firmarunt Rempublicam; patriam, Domum honorum ornamentîs cumulârunt. Nec ista tantum! Florianum Jelitam, (i) gemmam Præsulum Cracoviensi donatum infulæ; atque etiam ad Archiepiscopalem Leopoliensis cathedræ dignitatem virtutum meritorumquè suffragio provectum magnum hujus Familiæ sidus Bernardum, (k) annales memorant: nec ulla unquam illius, quâ functus est ad Ludovicum Hungariæ Principem publicæ legationis; nec alterius Pastoralis vigilantiæ,

plane-

(h) P. Naramow. in Facie rerum Sarmat. p. 519. 585. &c. (i) ibid. p. 210. (k) ib. p. 163.

planequé Apoſtolici fervoris memoriam obliterabit vetuſtas. Sed nequè hæc: omnia! qui ſupremus in Polonia dignitatis apex eſt, hoc etiam ſublimis effulſit Jelitarum ſanguis in Zdislao (*l*) Primate Regni primoque Principe: ad quem adverſis jactata procellis Reipublicæ navis, tanquam ad portum ſuum; inclinata ad ruinam Patria tanquam ad columen; dubia, tanquam ad oraculum; miſera, tanquam ad aſylum, recurrebat.

Quas cum ego tuorum Aboriginum, Pontifex illuſtriſſime, Præſuleis coronatas inſignibûs produco imagines; intueris profectò: ut nihil habet fortuna novum, nihil & honor habet, quôd in tuo ſinu ceu munus poſſit reponere. Offerre poteſt decora: ſed quæ tantorum retrò annorum flexu fuêre jam veſtra. Atquè adeò vides: ut non novum quodpiam, verùm tritum à Viris ſuorum armorum illuſtriſſimus Frater tuus honoris decurrit iter: Camenecenſis infulæ, quam ante Dionyſius ornaverat, geminat cumulatquè ſplendorem Nicolaus. Aureus verè Præſul! à talentis, à felicioribus naturæ dotibus: hoc fortunatus verè! quôd ut idem illi tecum ſanguis eſt, ità ſimilis color purpuræ: nec ſuis ſe minorem exhibet Majoribûs; quorum ut merita, ità meritorum præmia retinet ad gloriam. Tibi ſanè peculiari

Supe-

(*l*) ibid. p. 102.

Superum beneficio conceſſum: ut ne qui ex præcipuis in Eccleſia faſcibus tuæ deeſſent Proſapiæ, qui ſoli deſiderari ſunt viſi, Plocenſi, Vladislavienſisquè Antiſtitis titulos, tuo ad fulgorem nomini adjungeres, ad cumulum decorum inferres Domui.

Verùm tantumné infularum honor veſtræ virtuti ſacer? pro fidem hominum! qui ſe mihi è civili ſtatu purpuratorum Patrum ex Jelitis coactus ordo objicit! quæ miniſteriorum Regni in Gentem iſtam congeſta inſignia! ut in unum hanc illuſtrandam Domum ſplendor fortunæ omnis Regnô toto collectus videatur. Quæ ſingula, cum non dicam ornando, ſed nequidem numerando detur percurrere; permittite oro faciam: quòd, innumerabilem in exigua tela daturi exercitum, præſtantiſſimi etiam pictores ſolent. Summa illi depingunt capita, reliquorum ne umbram quidem: præcipua & ego atque etiam hæc ſola, per tot propagines diffuſæ, Jelitarum Proſapiæ adducam nomina. Primæ decus trabeæ illuſtriſſimum Piniążek Caſtellanum Cracovienſem profero; vos quæſo pretioſa tanti nominis decora memorate: magnum Regni Cancellarium, armorumquè Imperatorem magnum, Joannem Zamoyſki, de literis, de Patria, de ſuo genere tam inſigniter, ut vix quiſquam alius, meritum, ego: vos ab illo profectam Regni mu-

niîs

niîs trabeisquè inſignem virorum proferte ſeriem: Virum ego conſilii, armîs invictum Chriſtianum Głowa magnum Ducem exercituum: vos: Quirites ab hoc deductos cogitate: Nicolaum de Boglevo Palatinum Maſoviæ, Petrum de Mokrze Sandomirienſem, Florianum de Korymice Vislicenſem, Caſtelanos ego produco; ab his propagata ornamenta addite. Ab una arbore profectæ propagines una arbor ſunt; & gentes iſtæ Jelitæ omnes. Antiquiſſima enimvero, ampliſſimaquè Proſapia, mutato etiam agnomine, una eademquè eſt: eum plane in modum, quo ingentia flumina, ſi late longequè decurrant, illa ipſa ſunt, quanquam à multiplici ductu nomen aliud mutuaverint.

Jam ubi ad Jelitas, quos à Dembowa Gora derivato vocabulo, Dembovscios appellamus, devoluta eſt dictio: quem hic tandem, aut in dicendo tenebo ordinem? aut quomodo mihi imperare potero? ne in recenſendis viris hujus nominis admiratione abreptus, in immenſum excurrere faciam panegyrim. Certe nequè omnes laudare poſſum, quia plurimi: neque præterire aliquos, quia laudanda egere omnes. Quid porrò? lumen illud Familiæ iſtà mortalibus in ſepultum favillis; ut dignum judicet hiſtoria, quod ad poſteritatis exemplar fulgeat perpetuò, Laſſota Dembowſki Lanci-

cienſem Enſiferum prædicabo? offerunt ſe mihi immortalitatem meritæ virtutes Thomæ Lanciciensis Pocillatoris, ejusdemquè terrarum Judicis ac etiam Vexiliferi. Has attolam? primum ante omnes locum primamquè ſibi laudem vendicat flos ille Poloni Senatûs, duo Andreæ Dembowscii: Bełzenſis alter Palatinus, alter Siradienſis Caſtellanus. Quorum ſi ego fidem probatam Regibus, ſi conſilium, quo firmam ſtabilemquè felicitatem publicam reddiderunt, ſi ſolertiam, dexteritatemquè in agendo, ſi verbô innumera in Patriam promerita reticebo: ipſi, quos ſuæ virtutis præmium retulerunt, tituli præclarum rectefactorum teſtimonium perhibebunt. Nempe priusquam Palatina ille dignitate, hic Siradienſi purpura effulſiſſet, Præfectura utrique Chrubiszovienſis illi, huic Lancicienſis: tum illi Bełzenſis Caſtellani, Brzezinenſis alteri faſces juſtiſſimo Regis ipſius judicio delata fuere. Illis enimverò implicata maximè negotia Majeſtas, illis munia quæque difficillima committebat Patria: illi ſecuritatem Provinciis, integritatem legibus, incolumitatem Regno, offerebant: illi ſcutum, fortuna, ſalus, omnia ſuæ Poloniæ. Tum verò deſiderandum ſemper, niſi tantos, qui omnium explerent deſideria, reliquiſſet Filios, magnum progenitorem tuum Præſul illuſtriſſime Florianum Płocenſium terrarum Judicem præteriri nequeo. Rapit enimverò

verò in admirationem ſui ea, qua in Provinciis eminebat authoritas; ut illum ceu quoddam terrarum numen cives colerent, dilaudarent boni, formidarent mali: illa in cauſis dignoſcendis ingenii perſpicacia, in judicandis maturitas, in decidendis æquitas, ut juſtum quidem, etiam qui cauſam perdidiſſent, prædicarent; clementem verò amarent, illi etiam, à quibus pænas repetebat. Nimius ſum referendo: ſi ædes, quas hic incoluit, à nobilitate frequentatas, eum plane in modum: quo Delphos olim frequentes adibant populi petituri oracula: ſi privatorum negotia hujus interventu compoſita; ſi res complurium ruituras, niſi hic præſenti adeſſet conſilio adducerem. Unum dixiſſe ſuffecerit: majora dignitate quam geſſit, Viri fuiſſe merita, dignumquè ſe præſtitiſſe maximîs, ſi tam illas quærere, quàm mereri voluiſſet. Mitto deinde: è tumulo revocare in paginam Statores illos fortunæ Regni: Adamum de Sułkowice, Jacobum, Alexandrum, Adalbertum, Martinum, Valerianum Dembovscios qui maximè turbidis ac pene extremis Reipublicæ temporibûs, quo tranquilitatem redderent, Joannem Caſimirum Regem dederunt Poloniæ. Quin etiam ne utcunquè obductam tanti ex jactura viri animi cicatricem videar refricare, Mathiam Płocenſem Præfectum Fratrem tuum Antiſtes illuſtriſſime, iturum per ampliſſimos

hono-

honorum gradus, nisi vitæ cursum stitissent fata, commemorare nolo. Imò ne quidem Familiarum adducam decora; quæ huic nomini vel cum sanguine influxerunt; vel affinitate proveniunt; ne quidem, quæ Ciechanowiecciorum Materna, atquè adeò jure sanguinis nostri sunt Pontificis ornamenta. Multô minus, aut illam, quam collocata Ill. Tęczynski Palatino Cracoviensi Sophia conjuge, lectissima Andreæ Dembowski Palatini Bełzensis filiâ, Domus hæc suam fecit tanti nominis amplitudinem, & gloriam, aut quos cum Działynsciis, Niszczycciis, Rupniewsciis, Ossoliniis &c. arctissima sanguinis conjunctio Prosapiarum splendores illorum fecit proprios, prædicabo. Æquor gloriæ exhaurire brevi dictione vellem: si trabeatum, qui Dembowsciis cognatus est, omnem sanguinem in paginam deducere contenderem. Certe cum Familia hæc tot penè illustribus, inclitisque Virîs effulgeat, quot Cælum sideribus: si ne hos quidem omnes recensuero, ne quisquam mihi oro succenseat quòd stellas cæli istius ad calculum non revocaverim. Fiet utiquè ut Illust. coronæ Fratrum: quorum virtus tot obsequiis probata Regi, Rex ipse ponat pretium: ipsequè primis illos exornet muneribûs, quibus ornandis nostræ orationis non sufficit tenuitas: & quæ nomina solo colimus silentio, Regno toti colenda proponat Majestas.

Quæ

Quæ cum ego ſummatim: ac quemadmodum ampliſſimum Regnum in geographica tabula arctari ſolet, ità paucîs comprehenſam, ac verius adumbratam tantùm, illuſtriſſimæ Domus magnitudinem exhibeam: etſi ſatìs intelligo, quantum lucis hujus nominis prætermittendo, ut brevis eſſem, ſuppreſſerim: neſcio tamen, an quidpiam ad dignos magno Senatore natales, quibûs ſua fundetur authoritas, ſupra, quàm diximus, deſiderari poſſit. Fortunatum te profectò tam illuſtri naſcendi ſorte Pontifex illuſtriſſime! quæ ut vulgò te exemit, ac ultra multorum conditionem hominum longè extulit; ità officii ſui quemquè admonet: honoremquè tibi haberi imperat. Fortunatum! à tantis deſcenſu Aboriginibus: quô factum, ut ſtatim à cunabulis jus tecum extuleris ad quævis Reipublicæ gubernacula capeſſenda: quòd hæc tanquam Patrimonium tuum, quia & domeſtica, & multis Majorum empta meritîs, tibi debebantur. Tum verò magnum id ad ſpem, ac opinionem omnium de te concipiendam: quod ut auguſtum ex antiquo ſanguinem, ità magnos ad magna, natura tibi inſtillârit impetus, mentemquè infuderit dignam origine, dignitatibus parem maximis. Illa verò, quæ cum tot tantisquè Poloniæ Proſapiis ſanguinis tibi intercedit neceſſitudo, tantum facit, ad tuam quidem magnitudinem, felicitatem verò publicam: ut abſens etiam

 inter-

intereſſe negotiis, junctisquè tuorum viribus, quæ ipſe velis, poſſis plane omnia.

Spem dixi: minimè cogitanti vox excidit, corrigenda omninò; atque etiam, quamdiu de Antiſtite noſtro loquimur, eliminanda prorſus. Omnia hæc de iis prædicabimus, qui in ſuo ad Magiſtratus aditu plus ſpei quandoquè, quam rei adferunt: neceſſitatemquè ineluctabilem imponunt oratoribus, ut, ſi illos ornare velint, fortunatam ex eorum felicitate Patriam promittant, non ſatis exhibeant. De Viro loquimur, cujus cum nulla pars vitæ laude caruerit: ſemper in eo habeat Patria, quod probaret; cives, quod ſuſpicerent; Reges, quod præmiarent. Et præmia ille quidem meritorum, munia Reipublicæ multò maxima, tanta fide ac approbatione omnium ſuſcepit, adminiſtravitquè; ut poſtquam præconceptam de ſe opinionem ſuperavit: nihil reliquum tam illuſtre, tam magnificum, tamquè excellens viſum ſit in Patria; quô non dignum ſe præſtaret. Viſum id porro juſtis rerum æſtimatoribus: id Provinciæ, id viri in Republica maximi ſenſerunt: id Regis juſti ſemper auguſtiquè de eo fuit judicium. Illi Płocenſis Palatinatus Vexilliferi munus detulit, illum Płocenſi Præfectura Majeſtas auxit, illum magnus Cancellarius Regentem Regni adſcivit, illum denuo Rex ipſe ampliſſimo Referendarii Regni

mini-

ministeriô cumulavit. En! qua hic, æstimatione omni sua ætate apud omnes floruit. Sed necdum dicta sunt omnia: hunc deinde Rex idem ipse ad Senatoriam curulim provexit, hunc Płocensibus admovit infulis, hunc demum ad sublimitatem istam facile primæ in Polonia dignitatis, quam illi gratulamur, extulit. O singularem Viri dignitatem! o virtutem eximiam! in quam ornandam non modo Regnum cum Rege suo consenserit; verùm tot etiam ac tanta munera congesserit: è quibus, si vel solum Regni Ministerium uni, vel una Senatoris purpura alteri delata fuissent; satìs illi ad gloriam, satis ad suæ decus familiæ cumulatos se putarent. Tantum profectò dotes meritaqué nostri hujus Antistitis commendationis habent; quantum ipse retulit titulorum: illamquè partam splendore natalium majestatem tanto dignitates istæ auctiorem reddunt; quanto majora sunt, quæ à rectefactis, quam quæ à nascendi felicitate proveniunt ornamenta; quantòquè præclarius est propriîs, quam alienis illustrari splendoribûs. Tum verò quod in titulis effulget præcipuum: id Senatoriam planè authoritatem illi facit: maxima, nempe meritum, maximisquè Reipublicæ gubernaculis parem à Rege ipso judicari. Quid *enim majus quæritur* (Cassiodori verba Viri morati prudentisquè adduco) *quàm hic invenisse laudum testimonia, ubi gratificatio non potest esse suspecta? regnantis*

gnantis quippe ſententia de ſolis actibus ſumit judicium, nec blandiri dignatur animus dominii poteſtate munitus.

Sed vela dictioni pandimus: cùm dicendorum copia, ut contrahantur, ſatìs admonet. Dicenda eſt, atquè etiam perſpicienda inprimis, Viri ſapientia, ſine qua caſſum eſt Senator vocabulum; dicenda, quibus ad eam gloriæ famam pervenit, merita; ac ne quidpiam in eo, quod ad amplificandam Senatoris authoritatem adminiculo ſit, deſideres; dicenda eſt ætas Pontificis. Et iſtam quidem cum ipſi intueri poſſitis; videte! ut quemadmodum reliqua omnia, ita hæc etiam cum Senatoris appellatione conſentit; ut convenit, ut pernecesſaria Senatûs Conſuli. Matura eſt, quæ conſilia fervore haud præcipitare poſſit; vegeta, quæ oneribus Reipublicæ ſufficiat; dierum plena, quæ Patrem Patriæ diſcernat à reliquis. Talem in conſulari Viro nunquam non exoptabant Regna: quòd & honorem perſonæ (quem illi inſitæ à natura, divinæquè decreverunt leges) apud omnes ſuſtineat; & authoritatem dicenti faciat, grandequé pondus teſtimonii vel ab ipſo ſenio habeant ea, quæ dicuntur. Ità ut omnibus abſolutum numerîs, ut ſua dignum munificentiâ Senatus conſulem dediſſent ſuperi; ne illi quidem, quod pulcherrimum, & quô nullum homini optabilius, pepercerunt dono: dederunt annos ſua, be-

nedictio-

nedictione plenos Pontifici, ætatemquè illam, quæ ipsa, ut Tullii loquar vocabulô, ipsa etiam *Senatoria* est.

Jam, si sapientiam ætas nobis parat multis edocta usibûs: quid opus est Oratoris voce? ut Virum hunc eum esse declaremus, unde sibi cives, Regnum, Rex ipse consilium possint expetere. Id usu venire videmus: quôd privati etiam homines, nihilquè minus agentes, quàm ut aliquid sciant; ipsa ætate magistra ampliorem in dies prudentiam, experientiam, rationem proferant. Qui nobis talia intuentibus de Pontifice sensus? quid statuimus? quid dicemus? Qui tot Regni hujus ætates, tot fortunæ illius vicissitudines suismet oculis inspexisset; an non illi, tot Patriæ periculìs edocto, pronum est, ac facile, ex actis, ex eventis capere consilium? atquè etiam ex ipsius vulneribus remedium, ex casibus subsidium, ex pernicie salutem illi adferre? Quis illo, literarum eruditione præstantior? quibûs cum juventutem excoluit, tum eas usu ipso & perpetua cum viris sapientibus consvetudine provexit: quis complurium negotiorum usu cautior? qui tot causarum ambages inoffenso pede decurrit: quis demum in gerendis Reipublicæ muniis magìs versatus illo? qui in his cum laude obeundis consenuit. Verùm, ut paulò antiquiora ipsius ornamenta

F repe-

repetam: hic è ludo, atqué pueritiæ disciplina, ut populorum mores varios, ut status, instituta, consvetudines Regionum perdisceret, ad exteras nationes profectus: hic ineunte adolescentia, ab illustrissimorum Załuski, deinde Joannis Szembek magnorum Regni Cancellariorum (quorum ingenii ac eruditionis famam nulla silebit vetustas) pendebat ore; unde tot effata, tot oracula: hic eosdem in gravissimis Reipublicæ curis, arcanorum omnium conscius, sua juvit operâ: hic ab æternâ digno memoriâ AUGUSTO II. Rege ad secretissima quæqué expedienda Regni negotia adlectus, in illa consiliorum sede, in tanta curarum frequentia, in eo gravissimorum Senatorum, luminum Patriæ confluxu adolevit. Hìc curiæ Regni mores percalluit; hìc Regalis aulæ consvetudines, consilia perspexit; hìc variam Regni fortunam, causas perdidicit; hìc arcana quæqué magnatum, Regis, Patriæ negotia pertractavit. Quid deinde? quam oro scientiæ laudem in eo desideres? ornat illum linguarum peritia; nomen magnum illi peperit juris utriusquè, legum, consvetudinum explorata cognitio; nativam ingenii solertiam omnes suspiciunt; prudentiam dilaudant omnes: quæ tanquam assidua comes, ac moderatrix, ejus consilia, facta, dicta omnia condiebat. Sed multîs agimus: an enim is, qui in tot Patriæ magistratibus vires annósquè

summa

ſummâ omnium approbatione contriviſſet, nomen vacuum & inane geſſit? an in toga, aut purpura, aut in reliquis honorum prærogativis ſui muneris amplitudinem comprehendi putavit? Plura ſunt profectò turbulenta, atquè impedita negotia conſiliô ejus explicata, incredibili ſolertia adminiſtrata, ſumma cum felicitate transacta, quàm alii audierûnt: plures arbitrô illo & Judice, ſacræ civilesquè cauſæ definitæ ſunt feliciter, quam alii ſuſceperunt: plures privatæ publicæquè controverſiæ ab hoc deciſæ, quam alii legerunt. Paucîs complector innumera: tantum in eo ratio, mens conſilium: quantum ætas eminet.

Tum verò prædicandis illius in Rempublicam promeritis, quæ par oratio inveniri poterit? qui Patriæ, quæ ſe progenuit, totam deberi vitam ſemper exiſtimaverit: nullamque ſibi ex ejus ætate partem, vel otium, quo paſſim adoleſcentiam languere; vel amor producendæ in annos ſalutis, quo ſenectam abripi, ſuisquè vacare commodis obſervamus, decerpſit. Teſtes ſunt hujus ab ineunte ætatate laborum, magni, quos non ità pridem adduxi, Regni Cancellarii: teſtis eſt afflicta Augusti II. Regis Poloniarum valetudo; quo ille tempore difficillimo, ut ſalvam ſervaret Rempublicam, graviſſimis ſuffectum oneribus Joannem Szembek ſuo conſiliô, diligentiâ, labore

labore juvit: teſtis eſt Vienna; quò cum Vladislavienſi Epiſcopo à Rege ablegatus, ut auguſtiſſimam Josephi Cæſaris Filiam Augusto III. Conſortem, orthodoxo Regno Reginam Sanctam, ingensquè probitatis exemplar daret. Teſtes verò jam ulteriorum illius vitæ rationum ipſæ ſunt Regni Provinciæ; quæ hujus dexteritatem ac incomparabilem prudentiam ſuis ornarunt faſcibus; teſtis eſt ipſa Augusti III. Regis juſti, pacifici, æquitas, tot meritorum præmia, primaquè ornamenta in illum congerens. Qui enimverò per tot annos campus hujus virtuti patuit, quo illa non excurrerit? quæ functio, quam non ſapienter obierit? quæ privatorum, quæ publica pericula, quæ non conſilio anteverterit, aut ſumma felicitate amoverit? Curritur quaſi ad terrarum Numen; nullumquè penè genus hominum reperias: qui non illius ſuccolanti dexteræ, ingenioquè incredibili incolumitatem ſuam, fortunam, ſecuritatem accepta debeant. Illum Majeſtas ceu ſuum columen favore complectitur: in illo præſidium ſibi conſtitutum recognoſcit Respublica. Tot impensîs obſequiîs probatam ſibi fidem Reges præmiarunt; tot exhauſtis curîs notam omnibus pietatem in Patriam omnes redamant; nec eſt, qui magnanimitatem in difficilibus, in agendis conſtantiam, in perſungendo magiſtratu vigilantiam non probet, non ſuſpiciat. Quis recenſendo proferat

ferat multo gravissimas provincias à Rege, à Republica Præsuli huic impositas? eaqué solertia, ea felicitate ab illo obitas, qua expectationem de se Principis impleverit, vota omnium æquaverit. Producamné unum ex innumeris Radomiensis Commissionis publicum actum? cui Pontifex cum potestate præfuit: Pro Superi! ut illi etiam, qui ex ore ipsius sua veluti fata in causa fortunarum, interdum & salutis expectabant, fortunatos se prædicant: quod in rigidum æqui defensorem, fidum constantemquè innocentiæ vindicem inciderint. Audimus, quanta mentis acie in expediendis tricarum nodis, qua judicii maturitate in retegendis simulationum involucris, quanta in dirimendis litigantium controversiis æquitatate processum est. Id in castris milites, in aula proceres, ubiquè cives Patriæ divulgant, deprædicant. Quid munus illud multo difficillimum componendæ Russiæ, huic demandatum memorem? Græcum schisma suis in Polonia jam pene insepultum ruinîs, caput non ità pridem attollebat: & quo sancita Regni sanctissima, quibûs profligatum se jacere sensit, impunè convelleret; patrocinium sceleri quærebat in Moschovia. Tum verò legem, qua frænabatur, excutere; collapsa excitare fana; aras struere; firmare sedem: frustràqué hinc Religione civium obsistente, illinc nihil non audente pervicacia, intra se

commoveri provincia, ardere dissidiîs, tumultuari, fervere. Vidimus ista, nec sine dolore inspeximus: nempe pronum erat vel schismate affectam partem à corpore Reipublicæ ad Moscuam desciscere; vel ultra serpere exortum incendium. Sed o consultum optimè! Płocensis Præsul Antonius in Russiam ablegatur: abit, venit: mora nulla, sedantur omnia, ad tranquillitatem omnia componuntur. Ità cum sol comparet, nubilo succedit malacia. Quid hic ego primum demirer? opinionem illam omnium conceptam de Pontifice? qua nihil visum est tam implicatum, tam plenum periculi, quod illius interventu, virtute illius, & industria planum & expeditum reddi nequeat: an amorem illum Patriæ incomparabilem? quo hic incensus, non difficultate negotii, non viarum incommodîs, non locorum distantiâ, non àéris intemperie dimoveri se passus est à proposito, ea potissimùm, qua erat gravi annîs ætate, fractisquè multo labore viribûs. Certè numen illud latens in Antistite, nunquam demirandum satìs, potentia illa incredibilis, ac penè divina; qua fretus, singulari celeritate, felicitate summa, tranquilitatem provinciæ, integritatem legibus, securitatem Regno restituit. Mitto dicere centuriata Regni comitia, Senatus consulta; quibus ille privatis, publicisquè aderat consiliîs: ne quidem nuperrimum illud Grodnæ concilium memoro;

moro; quod ſcribendi leges Patriæ, ceu ſuo olim Soloni Græcia, Pontifici noſtro provinciam demandavit. Cogitate animis! ſi quod cogitari poteſt genus obſequii in Rempublicam, quod ille non contulerit. Duo veluti Regnorum columina leges ſunt, & juſtitia; his ſtabilitatem dedit: conſiliô firmantur Reſpublicæ, hæc protulit: tranquilitate florent; hanc reſtituit. Atque hæc ille aſſiduitate tanta, ut omnis actio, cogitatio, tota denique jam inde à juventute vita, nihil aliud eſſe videatur, niſi perpetuum, conſtans, & indeſeſſum promovendi publici boni ſtudium: ardore verò illò, ut amorem provehendæ in annos ætatis reſtingvat amor Patriæ, non ſenio parcat, non viribus; illudqué perſvaſum teneat: Patrem Patriæ publicis curis immori oportere. Quo famam hic ſui nominìs tantum in ætates producit, quantum illi de ſalute ſua Reipublicæ negotia detriverint. Tum certe, ut nihil eſt quod in contentionem pretii cum humana vita venire queat; ita neſcio, an quidpiam plus ad bene merendum de civibus adferri poſſit; quàm hanc in laboribus Regni contriviſſe. Fingite enimverò tempeſtatem aliquam, qua Vir idem ſalvum ſe nolens, niſi ſalvam videret Rempublicam, pro ea caput objeciſſet periculis, Patriæquè prævertens exitium, telô ipſe ictus corruiſſet. Certè id genus heroas virtutis tantæ oſtentatrix jactat antiquitas, meri-

tum

tum deprædicat, illasquè incolumitati omnium consecrantes se ultro victimas porrecta ad posteros coronat gloriâ. Mea profectò opinione, magnum illud, & admirabile, quod cogitando fingimus, Antistitis hujus in Rempublicam promeritum, tanto minus esset eô, quod re ipsa præstitit: quanto plus est vitam integram, quàm annorum partem reliquam immolare Patriæ: multoquè difficilius sensim consumi curîs publicis, quàm ictu extingvi uno. Utriquè facinori pretium facit cum amor Patriæ, tum singularis animi fortitudo: huic sane alteri à prudentia in consulendo, ab industria, dexteritate, solertia in deducendis ad felicem exitum negotiis, à perpetuitate demum ac constantia, virtute multo clarissima pondus accedit maximum. Adde: quod è casu illo (quem cogitamus, Superum verò providentia Reipublicæ commodis prospiciens hunc avertit à Præsule) minus forte emolumenti retulisset Regnum: cum heroum hujusmodi ruina nihil quandoquè ad felicitatem Patriæ adjiciat, præterquam quod virtutem tantam illa genuerit.

Sed ut jam modum admirationi ponam, oro: si firma & diuturna virtutis sapientiæquè opinione comparatur authoritas; vobiscum ipsi statuite: qua hic cum dignitate Senatoriam amplitudinem sustineat; in quo splendor nata-

natalium, titulorum gloria, ſumma rerum peritia, rectefactorum fama, plane omnia naturæ virtutisquè ornamenta pulcherrimo fædere ſociantur. Imò verò ex iis ipſis, quæ adducta jam ſunt, concludite: quo hic animo, ut paterno, imo heroico, ac incomparabili, Patriam ſuam complectitur. Quid enim dicta repetam? cum dicenda ſuperſint innumera: illi à natura inſitus eſt amor ſuæ Poloniæ; illum domeſtica tot Majorum exempla otioſum degere non ſinunt; illum rectefactorum gloria, ne hanc ceſſando imminuat, perpetuô ſollicitat. Ad quem porrò Patria recurrat confidentius? quam ad eum, qui in hac natus, & ab ea ad tantum ſplendorem provectus, in illam amore fertur ſingulari, quia Filius: & quia Pater, etiam protegit, defenditquè. Oblivisci certè non poteſt Reſpublica tot benevolentiæ, tot fiduciæ data ab eo ad hanc usquè ætatem teſtimonia: ſentit, quàm tranquilla, quàm ſecura etiamnum in ſinu illius requieſcit. Palàm eſt, ac in oculis omnium: quàm certum id, ac propoſitum habet, idquè re ipſa oſtendit: ad publicam ſe felicitatem natum, ad id ſupra cæteros evectum, ac in ampliſſima dignitate conſtitutum: non ſecus ac ſidera, quæ ut in terrarum uſus influant, Cælo inſident. Audimus, atquè etiam oculis uſurpamus: ut ſalutem ipſe ſuam ſalute publica poſteriorem habet; quin illi aliquando metuimus,

ne vel susceptæ itinerum molestiæ, vel curæ publicæ, in illisquè sollicitudo, ac assiduitas fata illi acceleret; cum cujus vita felicitatem omnium conjunctam esse intuemur.

Quæ singula adeò ipsa luce clarissima, ità magnum, omniquè ex parte magnum Senatorem demonstrant; ut nihil in eo sane requiras, quod ad tuendam tantæ dignitatis majestatem illum adferre oporteat. Habet authoritatem conscripti Patris, & amorem Patriæ paternum habet: potest pro authoritate quæ ipse velit; nec velle potest pro suo in Rempublicam amore, nisi quæ optima judicaverit. Magnum consiliis pondus adjicit personæ dignitas, ut in suum sensum facilè trahat reliquos: momenti plurimum adfert optimè animata erga cives voluntas, ut in eandem ire sententiam, nisi sibi ipse sit hostis, detrectet nemo. Nequé hæc ego: quoties nobis in Pontificem nostrum sermo incidit; magnum, eundemquè sapientem Regni Dynastam dicunt, qui aliquando viderunt: eum scilicet, qui pro sua sapientia sciat, pro magnitudine sua valeat, quæ è commodo futura sunt felicitati publicæ. Quin ipse quàm primum Płocenses infulas accepit cum purpura, Patrem se probavit Patriæ: imo ante purpuram talem se præstitit. Declaravit, quod erat, consulares ei fasces deferendo Augustus: nec declarasse pænituit, erratum non

est;

eſt; ſuum de illo confirmat judicium, novis faſcibûs cumulando. Quid reſtat? niſi Superum recognoſcamus beneficium, quod dederint; Regnum verò fortunatum, quod tantum Senatorem acceperit. Ut enim nullum caſuri imperii certius exſtat indicium: quàm ſi præcipuè in indignos dignitates devolvantur: ità nihil ad firmitatem Poloni Regni. Sed quorſum abripior? magnus ille equidem Senator: nequè tamen par Vladiſlavienſi Pontificatui; nisì ſe etiam optimum præſtet Antiſtitem. Tanta eſt muneris iſtius amplitudò, parem maximis Regni Senatoribus, & optimis Eccleſiæ Præſulibus parem eſſe oportet, qui hujus adæquet magnitudinem.

Atque utinam mihi tantum facultatis ab eloquentia ſuppeteret! ut quam hic abſolutiſſimi Præſulis in ſe expreſſit imaginem; illam ſi non ornare, ſaltem adumbrare dicendo, ſufficiam. Ut enimverò ſanctum, ſublime, ac divinum munus eſt ſacrorum eſſe Antiſtitem: itá haud ſcio, an quidpiam, ſeu ad felicitatem bonorum omnium præſtabilius, ſeu ad commendationem hominis majus cogitari poſſit; quám ſi tanta divinitatis ſpecies pari cum virtute conjuncta in quopiam effulgeat. Plenum majeſtatis, majusque omni humano titulô nomen eſt Pontificis: & cujus magnitudinem, nisì ſummis, ac penè divinîs virtutibûs ad-

æquare

æquare possis. In hoc suum religio præsidium constitutum habet; ab illo immortalis mortalium felicitas, populiquè salus pendet; manum illius collapsa morum disciplina inprimis postulat; illum suarum legum vindicem, authoritatis honorisquè sui assertorem ipse DEUS constituit. Quam ob rem virtute omnibus numerîs absoluta eum eminere oportet; cujus vita cæteris omnibus sit pro exemplo, mores pro lege, facta pro imperio: ut nec projectæ vitæ homines Pastoris se vitiô tueri possint; & eorum, quibus etiam nomen exosum est Pontificis, calumniæ, ipsa sua sanctitate refellantur. Tum verò ardenti eum cura ac Sollicitudine urgeri, flagrarequè opus perpetuò: cujus partium est, immortali hominum bono, Ecclesiæ splendori, honori Numinis providere. Atqué istud est, quod prædicandum restat, ac etiam prædicandum maximè: eum te Pontifex illustrissime ad ornamentum, ad columen, ad solatium Religionis, huic diœcesi peculiari Superum beneficiô datum Antistitem, quo meliorem, non dico reperire, sed ne optare quidem, aut etiam cogitando informare poteramus. Hic tandem veræ magnitudinis est apex, hæc summa virtutis, hoc veræ laudis fastigium: & qua una reliquæ laudes omnes, quas fecisti tuas, veluti sole lumina alia, restingvuntur. Ne illa quidem tua, vera licèt, gravis, splendida magni Senatoris compellatio,

cum

cum tuò iſto Pontificis optimi cognomine in contentionem magnitudinis, veræquè gloriæ venire poteſt. Magna illa eſt; verùm hæc penè divina: ſummas illa, humanas tamen; ultra humanas iſta, ac divinitati propiores dotes in te commendat: illa immortali hominum memoriæ; hæc etiam æternitati te conſecrat: illa adorandum populo; hæc Regibus ipſis reverendum, ut Patrem, exhibet: illa, ut homo ſupra mortalem emineas; hæc, ut DEI perſonam inter homines ſuſtineas, facit. Ex quò ſollicitæ in celebrandis ſuis Præſulibus antiquitatis illa fuit exiſtimatio: ut, ſi quos ſplendido inſigniquè præconiô longè ſupra alios efferre vellet; illos boni Paſtoris conflata ex auro compellatione ornaret: rata, hoc gemino vocabulô omnem virtutis, ſolidæquè laudis amplitudinem comprehendi.

Verùm quæ tandem vis dicendi ac ubertas par illi Antiſtitis noſtri inveniri poteſt? quid dicam? intaminatæ morum ſanctitati? an ſancto ac incomparabili ardori? quo hic ea, quæ ſunt Pontificis omnia, ac ſe etiam Pontificem bono Eccleſiæ planè immolavit? Tanta hæc ſunt profectò, ut mentem animumquè in ſui admirationem rapiant: orationis certè facultatem omnem ita exuperant; ut in ſingulis unà de ingenio, de doctrina, de eloquentia periclitandum ſit Oratori. Illud me unum

reficit, recreatquè: quod etſi majora ſunt iſta, quàm ut à me celebrari poſſint; notiora tamen, quàm ut omnia prædicare oporteat. Cui enim obſcurum eſſe poteſt? quàm dignam natalibûs, dignam Majoribûs, dignam Pontificatu, ad pietatem, ad virtutis genus omne facilem, nactus eſt indolem? Quin eam naturæ in illo ſolertiam intuemur: quæ cùm ſumma atquè excelſa variis ac diverſis temporibûs una in Jelitarum familia ſparſerit; ea omnia (quod rarum, & vix compertum) uni tandem huic noſtro Pontifici, quæ omnibus antea præſtiterat, conceſſit. Videmus: ut civilis ſtatûs ornamenta, ſuos inquam in ſe magnus Regni Referendarius Aborigines exhibuerit; idemquè ipſe nunc Pontifex ſuorum armorum exhibet Pontifices: totquè virtutibûs Virum unum eundemquè inſtructum admiramur; quot utriquè ſtatui ornando ſuffecerint.

Tum verô pervagatum eſt illud: ut ab ineunte ſtatim ætate nihil hic religione erga DEUM habebat antiquius: eamquè vitæ rationem ſemper tenuit; quæ ab omni non modo ſcelere, verùm etiam ſceleris ſuſpicione abhorruerit. Id de eo, portenti ſimile hoc loci (*m*) prædicari audio: tantum juveni admodum, ad aulas degenti in perfringendis animi motibus fuiſſe roboris, ac conſtantiæ; ut nihil

(*m*) id Primores, qui norûnt Juvenem, teſtantur.

hil ille dixerit, egerit, probaverit, niſi quod cum pietate ac virtute conjunctum eſſet. Quod ego magnum licet, ac vix comparabile probitatis argumentum, ne minorum admiratione abreptus, majora prætercam; miſſum facio. Si enimverò is, ætate illa, cui pronum eſt, vel immaturitate judicii, vel fervore indolis abripi, tot inter vitiorum irritamenta, tam probatam morum rationem tenere potuit? quàm idem abſolutum vitæ ad divinas exactæ leges exemplar, eâ, quà eſt matura graviquè annîs ætate, exhibet? ſi admirationi fuit virtus illa in juvene adeò, ut non annorum lapſu, non oblivione obliterari poſſit? quæ tandem eſt illa ipſa, ad id usquè tempus provecta? ſi tanta in aulis, quæ nunc in Eccleſiæ ſinu, in Pontificia cathedra, in ipſo veluti ſanctuario?

At enim in tanta dicendorum ubertate, ac copia, quæ me hoc loco circumſtant, quid maximè prædicandum ſuſcipiam? dicam paucîs innumera: eum nempe Antiſtitem eſſe Antonium, in quem ità virtutes omnes convenerunt, ut ſingulæ emineant. Cogitate enim Virum! quem prudentia in conſiliis, in ferendis laboribus patientia, in adeundis periculis magnanimitas, in arduis fortitudo, in propoſitis conſtantia commendet: his ille virtutum gradibûs ad tantum gloriæ apicem pervenit. Hominem animô concipite! cui cum honor & fortuna

fortuna famulantur, nihil tamen vel altitudo de fastu aspersit, vel majestas de comitate ademit, vel authoritas de humanitate detraxit: hanc ille sui famam in omni, qua effulsit dignitate, reliquit. Hominem rursus cogitate! cujus vita amorem spiret in DEUM, & Patriam; cujus negotia, ex Ecclesiæ ac Regni necessitatibus coalescant; cui animus insideat rectus, beneficus, ab omni arte, & fuco quám longissimè remotus; quem suum pauperes perfugium, suum calamitosi portum appellent: hæc ipsa vita est Pontificis, de quo loquimur; id ille dici de se invitus nolensquè audit.

Et verò quidni audiret hujusmodi? qui se ad sublime evectum idcirco existimavit semper; ut ex alto miserorum necessitatibus prospiceret: idcirco fortunam sibi obsecundari; ut jacentes erigeret: potestate communiri; ut ab exitio miseros erueret. Quam ob rem ea benignitate cum subditis agere gaudebat; ut Antistes hic noster vel ipsa humanitate ac munificentia dignosceretur á reliquis. Patebat omnibus aditus ad Præsulem; liberum erat alloqui, calamitates deprecari: audiebat ut Pater, condolebat afflictis ut homo, necessitates propulsabat ut Pastor. Sed loquantur jam (sinamus) illi, qui aulam, qui mores Præsulis intimiùs perspexerunt. Si aulæ, inquiunt, apparatum inquiritis? comptum amat; qui tamen

non

non oſtentationem, ſed nitorem præſeferat: ſi comitatum? non ſatellitum greges alit, ſed pauperum: ſi ſtudia? negotia illum diſtinent digna Præſule, digna Senatore Regni; non otia ludibunda: ſi dotes? pius, affabilis, moderatus, munificus: ſi mores? ſanctè vivendi ſunt norma. Tum eximiæ illius pietatis documenta, populus, cui ad omne religionis officium exemplô præit, quin templa, aræ ipſæ, ipſiquè domûs parietes, quos oratione, quos vita ipſa conſecrat, ſatis deprædicant. Quæ omnia quantum ſplendoris Antiſtiti, tantum felicitatis Eccleſiæ adjiciunt. Quid enim pulchrius Pontifice? cui tantus virtutum comitatus; aut quid ad fortunam populi præſentius ſanctitate Paſtoris? qua reliquis & ad pietatem eſt incitamento, & ad ſecuritatem præſidio. Vita nempe Præſulis forma vivendi eſt omnibus: ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur, ut prope unius moribûs vivamus omnes.

Sed ad majora veniamus. Incomparabile eſt illud indefeſſum ipſius in religionem ſtudium: quo incenſus, ità ſe Diæceſis bono, Eccleſiæ ornamento, ſaluti hominum impendit; ut nullam ſibi unquam difficultatem pertimeſcendam, nullum laborem detrectandum, nullis impenſis, ne ſibi quidem parcendum exiſtimaverit. Ità ille ſecum pluries: ſacri muneris Provinciam Miniſter olim Regni ſuſcepi; ut

miniſter DEI fierem: pudet fideliorem fuiſſe Regi, quàm DEO. Sublime, & ſanctum eſt officium, quod gero; tractandum ſanctè: & quod id poſtulat: opes, & magnitudo non ad ambitum aliquem privatum, aut luxum, verùm ad ſalutem populi, ad ſplendorem Diæceſis convertenda: nec tam illam mihi, quàm me ipſum illi dedititium eſſe oportet. Non meis, ſed pauperum, ſed Eccleſiæ uſibus Pontificatum admiſi: campum bene merendi de religione, & DEO, nanciſci volui: ut conceptum animô zelum latiſſime diffunderem. Lucrum facultatum facio; ſi ità collocavero: nec vitam deperdo, ſed in meliorem commuto; ſi hanc curæ ſalutiquè gregis commiſſi immolo. Et hanc ille ſibi formam Pontificatûs ſui propoſuit, hanc gerendo tenuit, hæc in omni ſuo opere ita eluxit; ut plane in dicendis delectum habere non poſſim: cum dicenda veniant ſingula, omnino maxima.

An enimverò quidpiam majus ad perpetuam Diæceſis felicitatem cogitari poteſt? quam ſi id genus Pontificem accipiat; qui Pontificatûs illius non inſtaurator ſit tantum, ſed penè conditor: idque faciat non ſuo, ſed ſucceſſorum commodo. Hoc certè factô, Præſul illuſtriſſime! gloriæ tuæ magnitudini, quod minimè ſpectabas, providiſti: meritus, ut nomine, inſigniquè tuo bona Epiſcopalis

menſæ,

mensæ, quæ temporis, bellorumque vitiô ad incitas redacta, tua curâ, ac sollicitudine ad primum reduxisti statum, glorientur. Nam, Superi immortales! quàm dissimilis nunc fundi facies, ut è ruinis extracta! á squalore ad integritatem, & cultum assurexêre omnia! suis brevi ruderibûs insepeliendæ squalebant ædes; horrebant vici parietinîs, tecta habitatore vacua in pejus ruebant; à colonis deserti silvescebant campi; cuncta manum munificam expectabant. Credo ego, Miecislaum Principem, ut Christianæ religionis in Regno isto Authorem, ita Płocensis Episcopatus fundatorem primum, pro zelo & charitate illa, quæ beatos ne tum quidem deserit, cum spes & fides finem suum consecutæ deficiunt: credo inquam, eum è Cælo, ut opinor, in bona hæc instaurata jam, & florentia intuentem, horum integritate lætari: Deoquè pro tam pio, provido, munifico Antistite gratias referre immortales. Hoc certè cogitatu mirabile! ea excelsitate animi, supra humanæ propensionis, ac naturæ conditionem evectum fuisse Antistitem: ut suum ille bonum, quo perpetuitati Diæcesis provideret, potuerit respuere: ipsasquè Pontificatûs curas & onera, transcriptis Ecclesiæ proventibûs, suscipere. Nostis pro vestra sapientia, atquè etiam perspicitis, quàm onerosum est munus Præsulis, quantum honoris istius jugum, quæ felicitatis hujus servitus,

quæ

quæ ærumnæ. Hoc qui ſuſcipiat, eum oportet, populum omnem ſibi commiſſum in animum admittere: è Pontificia cathedra veluti è ſpecula divino honori proſpicere: ſollicitos dies, noctesqué pro ſalute hominum tranſigere: adverſùs errores, ſuperſtitiones, ac vitia contendere: ſpectaculo eſſe univerſis, quibus rectam vivendi rationem, non tam legibûs præſcribere, quàm ex ſuis moribus dare debeat. Quam ob rem ſapienter Chriſtiana Reſpublica, cùm graviſſima dignitate Paſtores onerat; quoddam illis pietatis veluti tributum ac vectigal, non quidem neceſſarium ſanctiſſimis Viris, æquiſſimum tamen, perſolvendum ſtatuit, ad laborum ſolatium, ad levamen onerum, ad curarum lenimentum. Id qui reſpuat, hoc una ſe conſolans: quod pro religione labores exantlet propè infinitos: illum ego non jam cum hominibus conferam, verùm ſupra quàm humana divinitùs inſtructum virtute judicabo, Quid porrò è vectigali illo, ſacris inquam proventibus Pontifex hic pro ſe retinere potuit? cum omne, quidquid ex Epiſcopali fundo proveniſſet, in hunc reficiendum omnino refundendum erat: imò ſuis etiam fortunîs ruentia omnia interim ſublevanda.

Et nequè iſta tantum ſunt Pontificiæ illius liberalitatis, ac flagrantiſſimi in bonum religionis ſtudii monumenta. Poſſem utinam per

eam, cui præfuit, diæcesim vos ducere! atqué singula, quæ Præsuleis, quæ suis hic sumptibûs in Ecclesiæ splendorem contulit, indicare. Hìc ille sacram basilicam penè à fundamentis excitavit; hìc templa è ruinis erexit; hæc tecta instauravit; his sanctis ædibus pristini cultus decorem reddidit; has aras posuit, inauravit illas; hìc squalorem abstersit; hæc illaqué sacra suppellex munificentiæ ipsius est donum. Ut locum aliquem christianæ pietati, sacrisque destinatum, Antonii Pontificis liberalitate vacuum videatis; ex hac Diæcesi egrediamini necesse est. Et necdum indicata sunt omnia. A fundamentis exstructum, planequè Pontificia liberalitate perpetuo censu ditatum Collegium exhibendum erat; in quo Ecclesiarum Pastores fracti labore ac seniô tandem feliciùs respirarent: postquè saluti alienæ impensam sollicitudinem, de sua unicè viverent solliciti. Isthoc etiam cum paternæ erga Clerum benevolentiæ, tùm providentissimæ supra gregem suum vigilantiæ, liberalitatis certè summæ Pontificis nostri perenne est documentum. Indicandi erant pauperes, claustra, nosocomia: in quæ hic omnem diem plenum beneficiis volebat excurrere: multô pulchriùs hujusmodi donativô, quàm Pastorali pedô Pontificias manus radiare existimans.

Quæ cum ego strictim enarro: quid (cogitatis) quid tandem hic suis, suorumquè usibus ex Episcopali ærario reliquum habuit? paucîs

 dicam:

dicam: amictum præter, ac frugalem mensam, nihil. Videlicet non sibi satìs videbatur DEI causâ profudisse, etiam cum Pontificia bona profudit omnia; nisi insuper natura insitum, sui, eorumquè, in quibus se superstitem futurum videt, amorem immolasset. Sed properè nimium hæc à me dicta: erratum est, corrigendum: imò verò ex sacris illis reditibus fatendum est emolumenti plurimum pro se, suisquè decerpsit. An enim temperare sibi potuit? quin eos felices contenderet? cum quibus idem illi sangvis, necessitudo arctissima: in quibus etiam post fata victurus est, eòqué victurus felicior, quò hos fortunatiores reliquerit. Ità est profectò! nimium quàm fortunatos beatosquè illos ex Ecclesiæ proventibus reddidit. Nempe quod pretiosissimum, quodqué pulcherrimum, id illorum fecit: nihil utilitatis ex sacra dignitate percepisse. Atquè hoc potissimùm titulô insignitur Pontificatus tuus Antistes illustrissime: inexplebilis illa semper aliquid ad splendorem diæcesis moliendi cupiditas, magnum te, ac vix comparabilem reddidit: summa in miseros, profusa in DEUM munificentia, ex sapientum omnium sensu DEO te fecit simillimum: virtus porrò ista, qua te in tuis, pauperum ac Ecclesiæ bono posthabuisti, victorem tui, tequè ipso majorem exhibet. Habet quod præsens, habent, quod futura in te imitentur sæcula, & quod imitando haud consequi poterunt, admirentur, & stupeant.

Sed

Sed neque illud minus eſt, quod, cùm annîs & labore debilitatis, ac propè fractis Paræciarum Paſtoribus, pro paterna plane in hos ſollicitudine, ut jam à laboribus reſpirarent, munificentiſſimè providiſti, te unum à curarum onere non eximas; te ipſum negligas, tuam unius ſalutem, annos graves, vitam ſaluti mortalium impendas. Magna videlicet, ac ſapienti Viro, ex ipſis laboribus pro communi felicitate ſuſceptis, jucundiſſima quædam promanat voluptas: quæ ad novos ſuſcipiendos labores alacriorem ſemper, atquè in iis perferendis lætum beatumque facit. Hinc perpetuum, ac indeſeſſum illud tuendæ ac amplificandæ religionis pietatisquè ſtudium: in quæ Pontifex toto providentiæ conatu, toto pondere conſiliorum, totoquè niſu mentis incubuit. Quis enim fando exprimat zelum illum? quo hic incenſus nunquam non de gregis fidei ſuæ commiſſi præſidiis ſalutaribus providere; ſummorum æquè ac infimorum concordiam fovere; pietatem vitio ætatis nutantem, ac jamjam ruinam minitantem inſtaurare, ac reliquis optimi Paſtoris fungi partibus eſt viſus. Quis verbîs adæquet vim ſermonis (*n*) illius? in quo eloquentia Præſulis, ac pietas, de primatu certant: ut ſacræ Paradiſienſis Baſilicæ auſu ſacrilego illatas vindicavit injurias: ut ſacrorum ultus eſt profanationem: ut à civitatibus inopiam, à civibus calamitates propulſare con-

(*n*) luci publicæ propoſitus eſt in Svada Polona fol. 181.

contendebat. Quis ardorem illum ſatis deprædicet? quo hic impulſus fidei controverſias lucubrari curavit ſollicitè; easquè, ut lucem viderent, munifica manu complexus eſt: nihilqué non egit, quo rationi cederet temeritas, luci tenebræ, mendacium veritati. Verùm in his Paſtoralis curæ officiis prædicandis, ut facile eſt initium invenire, ita, ſi ſingula prædicare vellem; nullum habitura eſſet exitum panegyris. Illud, illud unum Pontificii ardorem animi abundè declarat: quòd non modo curas omnes, ac cogitationes ad immortale populi bonum converterit; verùm etiam præſens ipſe ad virtutem omnibus inſtillandam, ad ſpiritualem opem ferendam ubiquè adeſſe voluerit. Non illum provecta ætas, non tempus alienum, non graviora negotia abſtraxerunt: vitamquè ſuam in diſcrimen objicere maluit; quam laboranti Eccleſiæ deeſſe. Ipſe obibat diæceſim; & quæ vel ſitu ſqualida, vel vetuſtate collapſa vidiſſet, erigebat: ipſe pietatem inſtillabat verbîs, ad bonam, rectamquè diſciplinam populum ipſe inſtruebat. Nec facile eſt dictu: quàm ſe uno virtutes omnes complexus Pontifex, ad omne pietatis genus populum invitabat. Nequè enim magis colendus cenſetur DEUS, quam cum illum à terrarum quibusdam Numinibus reverendiſſime coli intuemur: nec tam in animos mortalium valent dicta, quam exempla.

Beatam

Beatam verè tam pio, tam munifico, tam ſui, ſuæquè ſalutis prodigo Pontifice diæceſim cui præſuit! planequè ingratam, nimiumquè barbaram, ſi tam divini muneris in hoc accepti memoriam ſibi aliquando aboleri patiatur. Quanquam tot Pontificiæ liberalitatis, tot Paſtoralis, quin paternæ benevolentiæ perpetua ille poſuit monimenta; ut ſemper illa habeat, quo ſe hoc etiam abſente conſoletur, hujusquè memoriam etiam proferat ad poſteros. Quoad excuſſo pulvere, ac ſquallore, è ſuis quaſi rediviva ruinis nitebit illa: tamdiu Antonii Præſulis nomen, pietas, munificentia celebrabitur. Illius manum beneficam nunquam non celebrabunt miſeri; ex qua opes, vita, ſalus in ſe redundarunt: illius pietatem, virtutem, divini honoris ſtudium inexplebile, primævo ſplendori reſtituta, florensquè religio, quin aræ, & ſaxa ipſa prædicabunt: illius doctrinam, facta, exempla parentes filiis, præſentes poſteris narrabunt: ut ſe uno ſæculorum recordationem impleat; qui tot immortalitate digna præſtitit. Tum verò cum iſta loquimur intelligis profecto Præſul illuſtriſſime! quam diœceſis illius quæ te amittit diſpendiô felices nos exiſtimamus: quas ex illius fortuna ſpes animo præripimus: quibus incedimus lætitiîs: in quas gratulationes erumpimus: quid tibi, precamur à Superis: quid de te nobis pol-

 licemur.

licemur. Neque enim aut manum retrahes à labore; qui laboribus totam tuam aſvefeciſti ætatem; nec annis parces tuis; qui te jam pridem Patriæ, aut Eccleſiæ victimam deſtinaſti. Suffeciſti unus utriquè exornando ſtatui: ſufficies etiamnum alteri cui præficeris diœceſi. Id illa quidem jam ſibi gaudet; quod te videat; de quo tot prædicanda audiverat: tum certè gaudèt maximè quod Pontificem accipiat; cujus authoritate fulciri, ſanctitate ornari poſſit. Te religio accipit ut aſſertorem; te Clerus ut vivendi normam; te minima Jesu Societas, ut rerum ſuarum præſidium, ac columen: Quáqué omnes pietate in Patriam, quo ſtudio ſumus in Eccleſiam: illi, ut te Regni Senatorem magnum; huic, ut optimum diu ſervent Pontificem; munusquè in te utriquè præſtitum, ut diuturnum velint Superi, exoptamus. Imple Pontificatum tuum annîs, annos immortali gloriâ, te ſalvo diæceſim, te incolumi fortunatum redde Regnum: cum cujus illa ſalute felicitatem, ſalutemquè ſuam conjunctam exiſtimant.